

verbo *Sirama*, casu 2. & doctissimus Lambertini lib. 4. de canonizat. SS. part. 1. cap. 3. num. 21. At de his, & secunda orationis parte jam satis.

18 Ad tertiam igitur devenimus, in qua probanda est hæc conclusio: *Excommunicati, quamvis tollerati, privantur suffragiis communibus Ecclesie, id est orationibus communibus, indulgentiis, & sacrificiis.* Non loquimur de orationibus singularibus, & privatis, quæ applicari possunt etiam excommunicatis vitandis, hæreticis, & aliis infidelibus; quia hoc non est communicare cum illis, sed eis spiritualem misericordiam largiri, quod licitum esse docent Sotus & alii cum Div. Thoma in 4. dist. 16. art. 1. Conclusio colligitur ex Div. Thom. in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 1. q. 1. ad secundum dicente; suffragia Ecclesie eis non prosunt, quæ pro tota Ecclesia fiunt, nec ex persona Ecclesie oratio pro eis inter membra Ecclesie fieri potest; quamvis aliqua persona privata possit ad eorum conversionem aliquod suffragium per intentionem dirigere. Idem evincit ratio à Catechismo adducta; nam qui ab Ecclesia sunt præcissi, omnino privantur fructibus communionis Sanctorum; atqui tales sunt excommunicati, quamvis tollerati: unde inter eos, & vitandos nullam posuit differentiam Catechismus §. 9. illos assignans, qui ad Ecclesie communionem non pertinent, donec respiscant. Aliæ rationes videri possunt apud Thomam Magdalena tom. 1. *Iyrocini moralis* q. 2. *de censuris in particulari* art. 3. num. 78. pag. 59. & apud alios.

PRÆLECTIO XXIV.

De Remissione peccatorum,

ad expositionem cap. 11. primæ partis Catechismi Concilii Tridentini à §. 1. ad quartum.

1 Infelicissimi quidem essemus, carissimi auditores, si post commissa peccata non esset nobis veniæ locus. At clementissimus Dominus, qui dives est in misericordia, miseretur; qui fragilitatem nostram agnoscit, ignoscit; qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, vivificat. Quare merito Ecclesia divinitus illustrata nos credere jubet remissionem peccatorum, tanquam dogma fidei ab Apostolis traditum decimo articulo Symboli. De quo mirum, in modum, pro more agit Catechismus Concilii Tridentini, prima parte cap. 11., cujus quatuor priores paragraphos, hesterno sole sortitos, hodierna luce discutiam, non quidem meis viribus fretus, quas nullas esse non dubito, sed divina ope confisus, quam absque hæsitacione præstolor, in nomine Patris, &c.

2 Superis adjuvantibus, vobisque benigna aure faventibus, præfatam Catechismi litteram pro viribus extricabo, oratione in tres partes disposita. In prima enim parte textum in epitomen contraham. In secunda ipsum fuse dilucidabo. In tertia demum, si tempus nondum effluxerit, propositionem ex ipso textu deductam auctoritatibus fulciam, rationibus confirmabo, & ab oppositis argumentis defendam. Utinam feliciter!

3 Primam itaque partem exordians, dico sic incipe-

re litteram Catechismi §. 1.: *Nemo est, &c.* Ita vero finire §. 4.: *Et quorum retinueritis, retenta sunt.* In præsentī capite docet Catechismus, remissionem peccatorum numerari inter articulos fidei ad salutem necessarios, quod Christi Domini testimonio probat, & Parochos sedulo monet, ut hunc articulum adeo necessarium summa diligentia fidelibus explicant; nedum scilicet peccatorum remissionem in Catholica Ecclesia reperiri, sed etiam potestatem peccata remittendi in ea esse. Nam sacramentum baptismi culpas omnes diluit, ac etiam tollit reatum poenæ æternæ, non vero concupiscentiæ fomitem ab originali peccato proveniente, quo licet homines sint proclives ad malum, eo tamen ad majus meritum uti possunt, & si in crimina relabantur, per poenitentiam resurgere valent. Christus enim virtutem dedit Ecclesiæ remittendi peccata, cuius rei plura sunt sacræ paginæ testimonia. En brevissimum litteræ argumentum, & primam orationis partem.

4 Ad secundam igitur accedamus, ubi elucidanda est littera Catechismi; qui prius rectissime pro more docet, remissionem peccatorum inter articulos fidei recenseri, tanquam mysterium ad salutem consequendam necessario profitendum. Idque apposite probat doctrina jam ab initio in præfatione tradita, & alibi sæpius inculcata, nempe sine certa eorum fide quæ in Symbolo credenda exhibentur, nullum esse ad Christianam pietatem aditum. Quod etsi de quovis articulo Symboli verum sit, de hoc tamen videtur longe verissimum; quoniam fide hujus articuli, omnes alii quodammodo illustrantur, & iste per alios validissime comprobatur. Nam peccatorum remissione fides in unum Deum auctorem gratiæ clare relucet; pro peccatorum remissione credimus Incarnationem Verbi, vitam, passionem, & mortem Christi; ejus resurrectio signum est, nos Dei gratia à peccatis posse resurgere; ascensus Christi in

Coc-

Coelum, inter alia fuit, ut ibi eum haberemus advocatum ad Patrem, & nobis facilius peccatorum veniam impetraret; ad remissionem denique peccatorum maxime ordinatur Spiritus Sancti gratia, & potestas Ecclesiæ. Quare dicit Isaias cap. 27. vers. 9.: *Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus.*

5 Ex quibus clare dignoscitur, quanta sit necessitas hunc credendi articulum, sine quo alia nostræ Religionis dogmata ruerent; tolleretur fides, extingueretur spes, exsularet caritas, & miseris peccatoribus aliud non maneret quam desperatio. Quis ergo Parochus non explicabit jugiter hanc veritatem? Cum ipsemet Christus divini sui oris testimonio dixerit, Luca 24. v. 47. *Oportet prædicari in nomine ejus poenitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes?* Et quis hominum corde non credet quod sua tantopere interest ad salutem? Nemo sane, nisi qui in via Cain, aut Judæ proditoris abire non formidaverit; hoc cum maximæ dementiæ sit, fateamur omnes oportet, nedum peccatorum remissionem in Ecclesia Catholica reperiri, juxta illud Isaiæ 33. vers. 24. *Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas,* sed etiam potestatem peccata remittendi in ea esse. Brevius dicam: fatendum est, & Deum per se peccata dimittere, & per Ecclesiam, cui hanc tribuit facultatem. Primum agebat Dominus ante Christi adventum: unde Isaiæ 43. inquit: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas;* sicque per ipsum justificatus fuit Adamus, & quotquot olim respuerunt, sicut etiam qui nunc temporis absque sacramentis, per solam contritionem ad Dominum convertuntur.

6 Hæc autem potestas dimittendi peccata, nulli hominum concessa est ante Christum servatorem, qui ut Deus, eam semper à Patre habuit, & ut homo, primus in tempore sumsit, ea frequenter est usus, & miraculis comprobavit; dicitur enim Matthæi 9. vers. 6. *Ut sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra*

Ti 2

di-

dimittendi peccata, tunc ait Paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Potestatem istam reliquit Christus Ecclesiae, & Apostolis scilicet, eorumque successoribus Episcopis, & Sacerdotibus, ad hoc à Domino ordinatis, ut ejus vice, atque auctoritate, non propriis meritis, peccata dimitterent: Unde Joannis 20. ait Christus discipulis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.* Hoc secundo modo remittuntur peccata mediis Sacramentis, praesertim baptismo, & poenitentia, cum sola ista duo *per se* conferant primam gratiam, qua mortuæ per peccatum animæ vivificantur; & ideo mortuorum sacramenta dicuntur; *per accidens* autem, ut scholæ verbis utar, secundam gratiam, seu augmentum gratiæ conferunt subiecto aliunde justificato, & alia sacramenta, quæ vivorum vocantur, quia in statu gratiæ, saltem prudenter existimato, accipi debent, aliquando etiam primam gratiam tribuunt.

7 Per Sacramentum baptismi deleri peccatum originale, & omnia personalia, docet in Catechismo, docuitque semper Ecclesia. Nec obstat hunc articulum in Symbolis Tertulliani, Irenæi, & Origenis desiderari; quoniam in aliis reperitur, & ex pluribus Scripturæ locis aperte liquet. Nam Regius Vates Psalm. 50. de baptismo prophetice loquens, ait: *Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor;* quod etiam ex aliis Prophetis colligitur, ut Ezechielis 36.: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Zachariæ 13. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris, & menstruaturæ;* quare Apostolus de Ecclesia inquit ad Ephesios 5.: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ;* ideoque merito ad hunc articulum innuendum ponitur in Symbolo Nicænæ Synodi: *Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum.*

Ad

8 Ad cujus uberiorem comprobationem plurimas possem adducere Patrum auctoritates, sed quia de hoc alibi fusius loquitur Catechismus, videlicet parte 2. cap. 2. §. 42. & sequentibus, ubi ex professo agit de effectu Sacramenti baptismi: ideo ab illis adducendis absteineo. Si quis enim latiore hujus veritatis probationem exoptat, facile adire poterit Expositores Petri Lombardi, sive Magistri Sententiarum in 4. dist. 4. & Divi Thomæ 3. p. q. 69. art. 1. atque Canonici Juris Interpretes super tertium Decret. tit. 42. & alibi (a). Nos textus litterarum prosequentes, advertimus

cum

(a) Ad hujus Catholici dogmatis confirmationem, non abs re futurum arbitror, aliqua venerande antiquitatis monumenta referre, que curiosis fortasse non displicebunt. Ea de promota fatemur ex animadversione 12. ad num. 18. Epistolæ Severi Minoris Balearum Episcopi, à doctissimo Antonio Roigio Magonensi nuper editæ, ac illustrate, ut supra festinanter notavimus in calce paginæ 86. quoniam folia illa jam sub prelo sudabant unde tunc non licuit longiore notam adjicere, quam modo tradimus. *Martini enim, quod nos Plineus admonuit, nutum omnino reddere, quam in furto deprehendit. Illud etiam Basilii præceptum semper nobis probatum est, cum illustrissimo Cano, cujus verbis utimur ex lib. 11. de Locis cap. 6. circa medium. Si quid ex alio dicitur, minime celandum. Sed ad rem. Sic ergo habet ille pag. 237. & sequenti.*

Heterodoxis contra sententibus confutandis, vel saxa ipsa sufficerent, e. g. Maffianum *Hædala Epitaphium in Antiq. Gallic. Epist. 20.* legendum, cujus alterum distichum profero:

*Martini quondam proceris sub dextera tincta,
Crimina deposuit fonte renata Dei.*

Gruteriana Inscriptio ad S. Anastasie fontes Præf. Urbis Longimani cara, & munificentia egregie ornatos insculpta, & à Zacharia recitata:

*Qui peccatorum sordes abolere priorem,
Terrenisque optat maculas absolvere vitam,
Huc ades ad Christi fontem, sacramque licorem,
Corpus ubi, ac mentes pariter, sensusque lavantur.*

Sixti III. Romani Præsulis ad Constantinianum Baptistrium elegantissimum Epigramma:

*Mergere peccator sacro purgande fluente.
Quem veterem accipiet proferet unda novum.
Intons esse volens isto mandata lavacro,
Seu patrio premeris crimine, seu proprio,*

Ex elegantique Prudentii Hymno de loco, quo Martyres (Bemeterius, & Chelidonius) passi erant, nunc Baptistrium est Colagurri, quem & eru-

cum Catechismo, licet per Sacramentum Baptismi tollatur peccatum originale, non tamen tolli concupiscentiam. Quod flebili experientia patet, cum quilibet, etsi renatus fonte baptismatis, frequenter valeat usurpare verba Apostoli ad Romanos 7. v. 19. dicentis: *Non quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago.* Et infra v. 23. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.* Hæc quidem concupiscentia ab ipso Apostolo vocatur peccatum, non quod proprie peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinatur, ut explicat Synodus Tridentina sess. 5. can. 5.

9 Dum vero Divus Augustinus lib. 5. contra Julianum cap. 3. ait concupiscentiam esse effectum peccati, causam peccati, atque peccatum; intelligi debet de concupiscentia ratione superadditi, nempe privationis justitiæ originalis, quo ad primarium ejus effectum, qui est sanctificare, & subjicere animam Deo, in quo essentialiter consistit originale peccatum, ut cum Divo Thoma (a) tenet communior Theologorum opinio; non vero de concupiscentia in seipsa considerata, seu, ut vulgo dicitur, formaliter sumpta, quæ consistit in rebellione, seu inordinatione inferiorum virium; quæ quidem opponitur legi mentis, divinam subterfugit influxum, & odio habetur à Deo, odio,

in-
eruditissimus Riscus in *Hispaniæ Sacre tomum 33. tract. 69. cap. 19. n. 31.* & in ejusdem *toni Append. 1. transtulit*, digna sunt, quæ in rem nostram isthæc describantur:

*Hic etiam liquidò fuit indulgentia fonte,
Ac veteres maculas diluit ungue novo.
Spiritus ætherei solitus descendere lapsu
Ut dederit palmam, sic tribuit veniam.*

Hactenus ex Roigio. Simile aliud ex Baptismi fonte Florentiæ tradit Thomas Madalena tom. 2. Tyrocini moralis, num. 314. in fine, pag. 189. his verbis:

*Quidquid ab antiquo manebat origine morbi
purgabunt, ipse si modo credis, aquæ.*

(a) Vid. D. Thomas 1. 2. q. 82. art. 3.

inquam, secundum quid, & simpliciter displicitiæ, non simpliciter tali, seu inimicitæ, vel deputatiõis ad poenam æternam: sicque impulsive tantum, si scholastice fari licet, dici potest moraliter mala, non vero formaliter, quemadmodum habitus vitiosus, & potentia peccandi, quæ manent etiam post baptismum; per quem licet omnia peccata tollantur; non tollitur concupiscentia, ad majus meritum, ut scilicet jugiter cum domestico hoste pugnemus, pugnando vincamus, vincendo coronemur; nemo enim coronatur nisi legitime certaverit.

10 Sed transeamus ad quartum & ultimum paragraphum ex assignatis, in quo recte asserit Catechismus, Ecclesiam peccata remittere virtute clavium, nempe per Sacramentum Penitentia. *Clavis* autem nomine, ait Divus Bonaventura in 4. dist. 19. art. 1. q. 1. in resolut. intelligitur *potestas spiritualis, quæ est aliquid datum animæ in sigillatione, qua sigillatur character Sacerdotali*; cumque ad rectum hujus potestatis usum duo requirantur, juxta D. Thomam in supplement. q. 17. art. 3. Unum, scilicet, ad judicandum de idoneitate ejus, qui absolvendus est, alterum ad absolutionem ipsam, quæ potestas judicandi appellatur: ideo claves in plurali dicuntur, quas Christus Petro tradidit, cæterisque Apostolis, eorumque successoribus, ut optime probat Catechismus in textu auctoritate Matthæi cap. 16. & alibi. Quare non audiendi sunt Montanistæ, Novatiani, alique antiqui erronei, perfide negantes Ecclesiam habere potestatem remittendi peccata post baptismum commissa. Rejiciendi quoque sunt VViclephitæ, Lutherani, Calvinistæ, & similes humani generis hostes, qui dentes Ecclesiæ clavium canina rabie rodunt, sed suos tantummodo frangunt.

11 Etenim præter apertissimam Scripturæ auctoritates, ad probandam Ecclesiæ potestatem remittendi pec-

cata per Sacramentum Pœnitentiæ, innumera sunt venerandæ antiquitatis monumenta, quæ perenni traditione ad nos usque devenerunt. Sed cum hæc passim apud Theologos dogmaticos obvia sint, & idem tractetur à Catechismo part. 2. cap. 5. præsertim à §. 11. ad 16. ubi de Sacramento Pœnitentiæ, & absolutionis forma fit sermo: ideo in præsentia alia, quæ sunt veluti cardines hujus articuli discutiemus. Prius tamen animadvertere operæ præteritum arbitror, emissionem peccatorum esse mutationem, qua quis ex peccatore fit justus, sicut mutatio, qua ex ægroto fit sanus, vocatur sanatio; sicque exemplo infirmi facile à catholicis explicatur justificatio impij. Si enim infirmus aliquis plenus scabie, ulcere, & putredine medicum adeat, ut sanetur; quid medicus? Tria potissimum faciet. Primo, quasdam præparaciones ad faciliorem morbi curationem illi præscribet, ut sectionem venæ, purgationem, emeticum, balneum, vel quid simile. Secundo, ei propinabit salutarem aliquam, & vivificam medicinam, qua vires redintegrentur, & sanitas recuperetur. Tertio, adjunget præservans aliquid, ne iterum in morbum incidat.

12 Similiter igitur agit Deus in sanatione peccatoris. Primo enim ipsi præscribit quasdam dispositiones ad salutem animæ necessarias, ut fidem, spem, timorem, contritionem, dilectionem, & emendandæ vitæ propositum. Secundo, infundit illi gratiam, seu justitiam inhærentem, qua & peccata vere tolluntur, & animus intrinsecus renovatur. Tertio, cautionem adjungit, ut deinceps pijs operibus, & observationi divini legis insistat; ne si aliter faciat, iterum amittat divinam gratiam, & fiant novissima illius pejora prioribus. Sic optime docet Ecclesia in Tridentino, & ejus Catechismo sapissime. Non sic autem impij, non sic; Lutherani enim, & Calvinistæ (peritissimi, si superis placet, animarum medici, utpote à Deo missi ad re-

for

formationem Ecclesiæ) ita rem aliter explicant, melius dicam implicant: sit pauper aliquis plenus scabie, ulcere, & putredine, qui à medico sanari cupiat; quid medicus? Hortabitur illum ut manu apprehendat pulcrum, & elegans alicujus divitiis pallium, eoque corpus suum operiat, scabiem tegat, ac deinde in conspectum Principis sui sidenter accedat, quippe qui fæditatem corporis, tam eleganti pallio obductam, advertere minime poterit.

13 Ita in justificatione, peccator qui propter scelerum suorum horrorem, ac turpitudinem, in conspectum Dei venire non audeat, & à Christo Domino, tanquam spiritali medico, subsidium petit; quid Christus? Offert illi suam justitiam, & satisfactionem, tanquam pretiosam chlamydem: hortatur, ut fide illam apprehendat, eaque quasi velo quodam, sua flagitia tegat, sicque opertus, intrepide coram Deo se sistat, à quo sine dubio innocens, ac mundus declarabitur, etiamsi talis non sit. Ne quis autem existimet nos ad hæreticorum irrisionem ista finxisse; sciat eos tria falsissima, & absurdissima tradere circa justificationem impij, ex quibus supra dicta necessario fluunt. Primo asserunt peccata non tolli, sed tantum tegi, & occultari, ne in conspectum Dei veniant. Secundo non infundi peccatori gratiam, seu justitiam inhærentem, qua interius renovetur, & sanctur; sed solum imputari illi justitiam Christi, qua non in se, sed extra se justus appareat, etsi interius maneat peccator, immundus, & impius. Tertio dicunt, ad hoc ut justitia impio imputeretur, opus esse solam fidem, quæ illam apprehendat; sicque solam fidem justificare. Hos tres errores, totidem oppositis thesibus breviter confutabimus.

14 Sit itaque prima: *In remissione peccatorum, non unice teguntur crimina, sed vere tolluntur, atque delentur.* Ita expressissime docent sacræ litteræ, in qui-

Tom I.

Vv

bus

bus peccata tolli, deleri, remitti, in profundum maris projici, dirumpi, exhauriri; ipsique peccatores mundari, abluvi, lavari, dealbari, dicuntur. Psalmo 31. *Beati quorum remissa sunt iniquitates.* Psalmo 50. *Dele iniquitatem meam.* Psalmo 115. *Dirupisti vincula mea.* Isaia 1. *Si fuerint peccata tua, sicut coccinum, quasi nix dealbabitur.* Michae 7. *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Joannis 1. *Ecce qui tollit peccata mundi.* Actorum 3. *Poenitemini, & convertimini, & deleantur peccata vestra.* 1. ad Corinthios 6. *Abluiti estis, sanctificati estis, justificati estis.* Hebr. 9. *Christus semel oblati est ad multorum exhaurienda peccata;* atqui haec omnia vera esse non possent, si peccata solummodo tegerentur, aut raderentur, ut ineptissime interpretantur haeretici. Quare Augustinus lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 13. sic ait: „Dicitur, mus baptismi omnium dare indulgentiam peccatorum, & auferre crimina: non radere, neque radices peccatorum in mala carne teneri, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum ressecanda peccata.“ Hinc videtur perantiquum esse errorem istum, quem impugnamus; quod etiam testatur Epiphanius haeresi 54. & Theodoretus lib. 4. haereticarum fabularum.

15. Accedit consensus Patrum, quorum longum texit catalogum Bellarminus lib. 2. de Justificatione c. 8. Nobis in praesenti sufficet, eam variis rationibus confirmare, verbis ipsis doctissimi Vincentii Ferrerii tom. 3. Epitom. Theolog. num. 470. (a quo fere omnia superius delibata ingenue profitemur accepta): Sic ergo rem qua de agimus probat ille (a). Tum quia, alias homo simul esset justus, & injustus, cum peccatum vere permanens, quamvis tectum, sit essentialiter injustitia. Tum quia Deus reipsa amaret impios, & pec-

(a) Vid. Ferrer tom. 3. tract. 4. disp. 1. dub. 1. n. 470. pag. 260.

catores, quos odio prosequi passim ipse testatur. Tum quia non esset in Ecclesia vera, & propria peccatorum remissio, contra id quod profitemur in Symbolo: *Credo peccatorum remissionem.* Et illud Joannis 20. à Catechismo citatum: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Tum quia sacramenta novae legis non auferrent proprie peccata, contra apertissima Scripturae oracula. Tum quia si peccata remanerent, vel esset quia Deus non posset illa delere, vel quia nollet; quorum primum repugnat ipsius omnipotentiae, & alias in patria remanerent, contra illud Apocalypsis 21. *Non intrabit in ea aliquid coinquinatum.* Secundum vero repugnat illius misericordiae, & plane derogat passioni, merito, & satisfactioni, qui factus est propitiatio pro peccatis nostris. Demum, quia si tantum tegerentur peccata, esset ut fabulatur haeretici, ne in conspectum Dei venirent; quo nihil stultius dici potest: quomodo enim non apparent in conspectu Dei, cujus oculis etiam occultissima nuda sunt, & aperta?

16. Sed videamus praecipua, quae nobis objiciunt adversarii. Illud, scilicet, Psalmi 31. supra citati: *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Illud Psalmi 84. *Remisisti iniquitatem plebis tuae; & operuisti omnia peccata eorum.* Illud denique 1. Petri 4. *Caritas operit multitudinem peccatorum.* Verum haec omnia, & similia facile explicantur. Cum enim nihil sit oculis Dei operum, nihil occultum; idem prorsus significat in sacra pagina peccata nostra esse tecta, ac esse ablata, atque deleta, ut ait D. Thomas in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. ad 2. Unde Augustinus in Psalm. 31. inquit: *Cooperata sunt peccata, & tecta sunt, abolita sunt.* Et infra: *Non sic intelligatis peccata cooperata esse, quasi ibi sint, & vivant.* Quod exemplo vulnerum corporis aptissime explicat S. Doctor, duobus modis, inquiens, posse vulne-

ra tegi. Primo ab ipso vulnerato, Secundo à medico. Vulneratus tegit eā pallio, non tollit; medicus emplastro tegit, & tollit; sic etiam peccata tegi possunt ab ipso peccatore, & à Deo; peccator tegit dum dissimulat, Deus tegit dum infusione gratiæ sanat, & tollit. Quinam, quæso, beati secundum Psalmistam? Illi ne quorum peccata priori, an quorum posteriori modo tecta sunt? Nos certe posteriori modo cupimus esse beatos.

17. Assertio secunda: *Deus in justificatione hominis infundit ei gratiam, seu justitiam inherentem, qua interius renovatur, & sanctus efficitur.* Sic aperte habetur in sacris litteris. Apostolus enim 1. ad Corinthi 3. v. 16. *Nescitis, inquit, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Nempe per sanctitatem, justitiam, & caritatem, juxta illud ad Romanos 5. v. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et similiter 1. Petri 2. v. 4. & Joannis 3. v. 11. aliisque in locis. Ad quorum intelligentiam sciendum est, caritatem multis modis accipi posse ratione diversorum effectuum. Primo vocatur gratia, quia ipsa nos Deo gratos efficit, ut Ephesiorum 1. v. 16. Secundo vocatur justitia, quia per eam reddit homo unicuique quod suum est, Deo cultum, & obedientiam; proximo amorem, & obsequium; sibi ipsi exclusionem vitiorum, & incrementa virtutum, Roman. 6. v. 18. Tertio vocatur imago, & similitudo Dei. 1. Corinthi 13. v. 12. & Roman. 8. v. 29. Quarto vocatur pignus hereditatis, quia videlicet, quam in nobis spiritus Dei operatur, certam spem futuræ hereditatis nobis facit, 2. ad Corinthios 22. Quinto denique vocatur semen Dei, quia sicut ex semine proveniunt arbores fructuosæ, ita ex caritate, opera fructuosæ in vitam æternam, 1. Joannis 3. v. 9. & alibi.

18. Præter justitiam inherentem, seu gratiam ha-

bitualem, agnoscimus etiam justitiam Christi, quæ nobis imputatur, sed non quemadmodum novatorum; isti enim putant hominem sola justitia Christi justum esse, seu ipsa justitia Dei, ut placuit Osiandro; sicque non admittunt gratiam justificantem animæ infusionem. Nos è contrario eam asserimus hominibus dari propter merita Christi, non tamen propria Christi gratia, vel substantiali justitia Dei justificari formaliter impium. Multis posset hæc veritas Patrum testimoniis comprobari; sed unus sufficere Augustinus lib. de Spiritu, & littera cap. 9. tit. 18. & 21. elucidans illud Romanorum 3. *Justitia Dei manifestata est;* ubi hæc verba tenet: *Justitia Dei, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem cum justificat impium.* Et in Psalmum 30. *Cum justus fuero, tua justitia est, sed sic mea, ut tua sit, id est, à te donata.* Et iterum: *Quid est justitia Dei? quid est justitia hominis? Justitia Dei est, non qua Deus justus est, sed quam Deus impartitur, ut homo justus sit.* Adem habet Doctor Angelicus D. Thomas 1. 2. q. 113. art. 2. his verbis: *Non posset intelligi remissio culpæ, si non adesset infusio gratiæ.* Quem sequuntur omnes Theologi, nullique licet in hoc aliter opinari, utpote definitum à Synodo Tridentina sess. 6. cap. 7. & can. 11. Ubi hæc habet: „ Si quis dixerit homines justificari, vel sola imputatione, ne justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, „ exclusa gratia, & caritate, quæ in cordibus eorum „ per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæ- „ reat; aut etiam gratiam qua justificamur, esse tantum „ favorem Dei; anathema sit.“ Ultimum hæreticorum errorem confutabimus infra, jam enim sufficit hæc pro secunda orationis parte.

19. Ad tertiam, ergo deveniamus, in qua probanda est hæc conclusio: *Remissio peccatorum non fit per solam fidem, qua impius credit sibi remissa esse peccata.* Probatum conclusio ipsis pene verbis sapientissimi, ac

facundissimi Gravesonii tom. 2. de myst. Christi disert. 17. assert. ultima. Primo, quia hæc fiducia qua quis credit, & certissime confidit sibi remissa esse peccata, è fronte opponitur verbo Dei clare docenti de remissione peccatorum, & de salute æterna semper esse timendum; nec de ea citra specialem revelationem nos in hac mortali vita constitutos, certiores futuros, Sic Proverb. cap. 20. dicitur: *Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Et Ecclesiastes cap. 9. *Nescit homo, an odio, an amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* Idem habetur Ecclesiastici 5. *De propitiato peccato, noli esse sine metu; nec adjicias peccatum supra peccatum, & ne dicas: misericordia Domini magna est, peccatorum meorum miserebitur.* Quibus Scripturæ Sacræ locis confoditur error nostri temporis hæreticorum, qui ubi primum justitiam Christi fide apprehendisse sibi visi sunt, nullo deinceps metu concutiuntur, dormiunt in utramvis aurem, & remissa sibi esse peccata certo certius confidunt.

20 Idem confirmat locus ille Jobi cap. 9. *Etiam si simplex fuero, ignoravit hoc ipsum anima mea. Verebar omnia peccata mea, scilicet quod non parceres delinquenti.* Profecto Job vir erat sanctissimus, nec, ut ipse ait, cum cor ejus reprehendebat in omni vita; & tamen metuere se significat; at si fides ipsum de sua justitia certum fecisset, ea de re nullatenus dubitasset. David etiam, cui Deus peccatum dimiserat, se nihilominus coram Deo occultorum peccatorum reum declarat his verbis: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.* Denique ut cætera mittam Scripturæ testimonia, Apostolus Paulus, I. ad Corinth. cap. 4. sic loquitur: *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die; sed neque meipsum judico: nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Et ali-

alibi: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne cum aliis predicaverim, ipse reprobus efficiar.* Quæ Apostoli verba aperte excludunt fiduciam illam, qua quis credit, & certissime confidit se habere remissionem peccatorum.

21 Huic catholico dogmati Sancti Patres suffragantur. Augustinus in Psalmum 41. explicans hæc verba: *Ad meipsum anima mea turbata est,* inquit: *novi, quia justitia Dei manet; utrum mea manear, nescio; terret enim me Apostolus dicens: qui stat, videat ne cadat.* Gregorius Magnus lib. 6. Epist. 22. ad illustrem quamdam feminam Imperatricis cubiculariam data, ita respondet: „ Quod vero dulcedo tua in tuis epistolis sub-
„ junxit, importunam te existere quoadusque scri-
„ bam tibi, mihi revelatum esse, quia peccata tua di-
„ missa sunt. Rem, difficilem, etiam inutilem postu-
„ lasti; difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui
„ revelatio fieri debeat; inutilem vero, quia secunda de
„ peccatis tuis esse non debes, nisi cum jam in die
„ vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime va-
„ lebis. Quæ dies quoadusque veniat, suspecta, sem-
„ per trepida metuere culpas debes, atque eas quo-
„ tidianis fletibus lavare.“ Divus Bernardus idem lu-
„ culentius exprimit sermone 1. de Septuagesima, dicens:
„ Quis potest dicere: ego de electis sum? ego de præ-
„ destinatis ad vitam æternam? ego de numero filio-
„ rum? Quis hæc, inquam, dicere potest, reclamam-
„ te Scriptura, nescit homo, an dignus sit amore, an
„ odio? Certitudinem itaque non habemus, sed spei
„ fiducia consolatur nos, de dubitationis hujus anxie-
„ tate cruciemur.“ Uno verbo, omnes SS. Patres tam
Græci, quam Latini in eandem sententiam descen-
dunt; quippe qui in suis operibus fideles frequenter
adhortantur, ut in timore, & tremore salutem suam
operentur...

22 Hæretici vero cum sanctum illum timorem, quo
car-

carnes nostræ configi debent, penitus excutiant, hominemque justificari dicant per fiduciam, qua certissime confidit sibi remissa esse peccata, opera pietatis, & humilitatem christianam extinguunt; poenitentia, cæterarumque virtutum exercitium è medio tollunt; securitas namque, ut nemo nescit, nata est generare superbiam. Hinc jure merito Hugo Grotius ad calcem libri, cui titulus est: *Votum pro pace*, ingenuè profitetur se abhorrere à communi illo Protestantium dogmate; sic enim loquitur; „Hostis non sum nisi eorum dogmatum, quæ credo noxia aut pietati, aut societati humana. Peccata illa, qualia Davidis, id est, homicidia, & adulteria non imputari; verba sunt Marlorati, dicitis quidem, in justificatis omnibus poenitentiam semper sequi, quod ego verum non arbitror. Et deinde: quæ est illi poenitentia, vivere, ut lubet, & deinde stante morte dicere Ministro: nollem hoc factum, & credo justitiam Christi mihi imputari, idque verum esse quia id credo? Cupo hoc viatico statim ille in Cœlum evolat; deque eo dubitare Stygiæ est incredulitatis.“ Hactenus Grotius, vir sane eruditus, & prope noster. Similia tenet ipsemet Grotius in *consultatione Cassandri*, ac in *discussione Rivatiani Apologetici*. Georgius Bullus in *Harmonia Apostolica*; in *responsione ad quasdam animadversiones*; & in *Apologia pro Harmonia*, contra Thomam Tullium, alique apud Gazzanigam tom. 3. part. 2. dissert. 2. cap. 1. in calce paginae 528. & cap. 3. pag. 555. in calce nota (2). Qui quaestiones à nobis superius traditas eleganter ac erudite, pro more, discutit tribus primis capitibus laudatæ dissertationis, à pag. 526. Videantur etiam plures alii cum Divo Thoma 1. 2. q. 113. art. 4. & 3. p. q. 49. art. 6. & alibi.

PRÆLECTIO XXV.

De Resurrectione mortuorum,

ad expositionem cap. 12. primæ partis Catechismi Concilii Tridentini à §. 1. ad quintum.

1 Carnis resurrectionem, quam Augustinus merito vocat præcipuam fidem Christianorum (a), quam Jobus appellat spem in sinu suo repositam (b), quam Paulus prædicat maximum præsentis vitæ solatium (c), quam denique nullus mortalium nollet esse futuram, nisi prævi ad vitanda supplicia, etsi eam plures impossibilia judicarent; Resurrectionem, inquam, mortuorum ab Apostolis traditam undecimo articulo Symboli, eleganter explicat Catechismus Concilii Tridentini 1. part. cap. 12. Cujus quinque priores paragraphos hodierna die discutiam. Ut autem res tanti momenti pro dignitate tractetur, auxilium Dei Omnipotentis supplex implo-ro, Patris scilicet &c.

2 Dei auxilio, Sanctorum juvenamine, vestraque venia (amplissimi Consessores) exponendos aggrediar quinque priores paragraphos capituli 12. 1. partis Catechismi Concilii Tridentini. Pro cujus clariori luce, orationem in tres partes distribuam. In prima breviter proferam argumentum litteræ textus. In secunda ipsam textus litteram pro viribus enucleabo. In tertia demum conclusionem proponam, probabo, defendam. Utinam conclusio respondeat exitus!

Tom. I.

Xx

Exor-

(a) August. serm. 150. num. 2. (b) Job 19. v. 27. (c) 1. ad Thesal. capit. 4. v. 17.

3 Exordiens igitur primam partem, dico sic incipere litteram textus §. 1. *Magnam hujus articuli vim, &c.* Ita vero finire §. 5. *Hoc articulo erudiri poterit.* Mens Catechismi, in praesenti est agere de undecimo articulo Symboli, de *Resurrectione*, scilicet, *mortuorum*. Sicque prius more solito affert necessitatem fidei hujus articuli, quem nedum sacrae litterae palam ostendunt, sed etiam confirmant plurimae rationes; quoniam hoc fidei dogma fundamentum est caeterorum, ut aperte docet Apostolus 1. ad Corinth. 15. v. 14. Quare Parochi non minori studio laborare debent in explicanda fidelibus hac veritate, quam quo plures impii eam labefactare conati sunt. Dicitur autem *carnis resurrectio*, tum ad denotandum animam hominis esse immortalem, solamque carnem, quae morte cecidit, ad vitam redituram, tum ad confutandam haeresim Hymenaei, & Phileti, qui tempore Apostolorum dicebant resurrectionem in Scriptura traditam intelligendam esse de sola resurrectione à culpa; quorum falsitatem demonstrant ipsae sacrae litterae, plura historiae Ecclesiasticae testimonia, similitudines aliquae, jam seminis, quod mortuum reviviscit, jam solis qui post occasum iterum oritur; & validissimae rationes hunc articulum suadentes, nimirum ex immortalitate animae, quae separata petit uniri corpori; ex supplicio, quo digni sunt mali, & praemio, quod merentur boni, nedum quantum ad animam, sed etiam quantum ad corpus. Et haec pro prima parte sufficient.

4 Ad secundam ergo pergamus, ubi elucidanda est littera delibata, in qua prius apposite traditur necessitas fidei resurrectionis, quam & sacra pagina saepe proponit, & ratio naturalis multis confirmat. Licet enim fidei nostrae mysteria nequeant solo lumine naturali evidenter demonstrari, possunt tamen ipsa validissime suaderi, maxime hoc de quo agimus, quod est veluti basis nostrae religionis, ut Catechismus evincit

cit illis Apostoli verbis ex 1. ad Corinthios cap. 15. v. 13. & 14. dicentis: *Si mortuorum resurrectio non est, neque Christus resurrexit; quod si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est & fides vestra.* Ideoque graviter monentur Parochi à Catechismo, ut eo majori studio hanc veritatem fidelibus explicent, quo nostrae religionis hostes eam evertere moliantur. Sunt enim Ethnici, Judaei, haeretici, & alii proterviores increduli, qui ad impugnandum hunc articulum adeo necessarium, quovis tempore à diavolo suscitantur.

5 Id prius egerunt, pluribus saeculis ante Christum, Stoici, Epicurei, alique antiqui Philosophi, quavis non defuerint qui contra sentirent. Democritus enim juxta Laertium, Thales juxta Aristotelem, Chaldaei juxta Theopompum aliquam resurrectionem admittebant, ut scribit Cl. Calmetus dissert. de *Mort. Resurrect.* (a) forte libris Judaeorum edocti; nisi dicamus eos solum intellexisse transmigrationem Pythagoricam, sive animae transitum de uno in aliud corpus, qualem docebant, teste Augustino, Platonici; quod etiam huic articulo adversatur. Post Christi adventum fuerunt alii, cum quibus disputabat Paulus Athenis, qui audita resurrectionis doctrina illudebant ei, sicut etiam Festus Judaeae Praefectus ipsum vocans insanientem, quia eorum Agrippa Rege, aliisque hanc veritatem docebat, ut legitur in Actibus Apostolorum. Idem egit postea Plinius lib. 7. hist. nat. cap. 55. de Democrito dicens: „ Similis, & de asserendis hominum corporibus, ac re- „ viscendi promissa Democriti vanitas, qui non revixit „ ipse.“ Quod etiam agunt Athei, Materialistae, alique pessimi nebulones. Ex Judaeis resurrectionem negarunt Sadducaei, & Samaritani, ut legitur Matth. 22. &

Xx 2

Ac

(a) Vid. dissert. Calmeti tom. 1. pag. 191. & Ludovicus Vives de Verit. fidei Christianae lib. 2. cap. 61.

Actorum 23. Ex hæreticis denique Hymenæus, & Philæus, Simoniani, Saturniani, Basilidiani, Valentini, Marcionita, & alii, quibus, ex recentioribus, partim adherent Socinus in cap. 5. epist. 1. Joan. ejusque discipulus Crellius super cap. 15. epist. 1. ad Corinth. dicentes, impios per mortem ad nihilum redigi, nullumque suscitandum esse. Quod si ita foret, ipsi sane non resurgerent.

6 Sed quidquid dicant, seu potius latent canes tartarei, certum omnino est, ac fide divina credendum, mortales omnes esse ad vitam revocandos, nec ullum, quamvis pessimum, morte omnino extinguendum. Nulla enim pars hominis ad nihilum redigitur; non anima, quæ immortalis est, & perpetuo duratura, ut ait Catechismus, & nos Deo dante, tertia orationis parte probabimus; non corpus, quod licet in pulvere revertatur, divina tamen virtute iterum compaginabitur, & animæ unietur. Ideoque in Symbolo ponitur *resurrectio carnis*, ad denotandum, non animam, sed corpus morte perire, sicque ipsam hominis carnem ad vitam restituendam; quò aperte confoditur error Hymenæi, & Philæi dicentium resurrectionem in sacris litteris traditam, tantum intelligi de resurrectione à peccatis: rejicitur etiam error Origenistarum, & Bardesanistarum asserentium, non carnem hanc redituram, sed corpus aereum, ut refert D. Hieronymus in epist. ad Pammachium, & Oceanum.

7 Contra quos, & alios, quorum meminerunt Tertullianus de præscript. Augustinus de hæres. num. 11. 20. 47. Philastrius, alique, sic propugnamus dogma catholicum, plurimis sacræ paginæ testimoniis: Job enim veluti primus resurrectionis Propheta, cap. 19. v. 25. & 26. ait: *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum; & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.* Quamvis autem Enjedinus, Joannes Clericus,

Mer-

Mercerus, Grotius, Vossius, Manasses Ben-Israel, & Rabbitorum complures, inficientur ex citato Jobi loco probari resurrectionem, ob diversum, quem hebræa exhibent, sensum; contrarium tamen evincunt alii cum doctissimo Berti tom. 2. lib. 22. de Theologicis disciplinis cap. 7. in exposit. hujus articuli (a). Psalmo etiam 40. vers. 9. habetur: *Numquid qui dormit non adiciet, ut resurgat?* Et Psalmo 103. v. 29. atque 30: *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur. Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Isaïæ 26. v. 19. *Vivent mortui tui; interfecti mei resurgent.* Ezech. 37. vers. 12. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos, &c.* Danielis 12. vers. 2: *Et multi de his qui dormierunt in terra pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium.* Osee 13. vers. 14. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* 2. Machabæorum cap. 12. vers. 44. *Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis* (b).

8 Ad hæc bene multa suppetunt in veteri testamento exempla eorum, quos Deus ad preces Sancto- rum, & Prophetarum de morte ad vitam revocavit. Narratur lib. 3. Regum cap. 17. historia de filio viduæ Sareptanæ, quem Deus precibus Eliæ Thesbitis à mortuis suscitavit. Legitur lib. 4. Regum cap. 4. quod orante Eliseo, filius Sunamitidis ad vitam fuerit revocatus. Dicitur ibidem cap. 13. quemdam mortuum in sepulcro ejusdem Elisei conditum, tactis ossibus Propheta, confestim ad vitam rediisse. Similiter Christus ado-

(a) Vid. Jacobus Joseph. Duguet in explicat. lib. Job. t. 2. pag. 51. Frideric. Spanhemius tom. 2. miscellan. sacræ antiquit. lib. 1. cap. 13. & alii apud Gazzanigam tom. 2. dissert. ultim. cap. 3. pag. 623. in calce. Nec omittendus Joan. Pineda doctissimus Jobi Interpretes. (b) Vid. Natalis Alexand. dissert. 26. in Sæc. 1. art. 3. pag. mihi 258. ubi contra Basilidem optime probat resurrectionem carnis.

adolescensulum Naimitanum, puellam filiam Jairi, & Lazarum quatruiduanum; Petrus Tabitham, Paulus Eutychem, suscitaverunt. Porro quis non videt hisce miraculis mortuorum resurrectionibus, Deum voluisse futuræ omnium hominum resurrectionis comprobare fidem? Nec bonis tantum, sed malis etiam futura est resurrectio; sic enim loquitur Christus Joan. 5. vers. 28. & 29. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vite; qui vero mala egerunt in resurrectionem Judicii.* Idem ait ibid. cap. 6. vers. 39. & Matth. 22. respondens Sadduceis eum interrogantibus de muliere, quæ septem fratribus nupsit. Et ut alia hujusmodi clarissima novi fœderis mittam testimonia, Apostolus Paulus omnium hominum resurrectionem, non solum in Areopago Athenarum, & coram Pharisæis, & Sadduceis constanter prædicavit; sed etiam cap. 15. epistolæ 1. ad Corinth. eam ex resurrectione Christi efficacissime adstruit.

9 Hinc facile convellitur Socini, ejusque gregalium error dicentium nullam impiorum fore resurrectionem, quia impii post mortem penitus extinguuntur. Facile inquam, hic refellitur error. Nam primo: Scriptura sacra non solum justorum, sed cunctorum, ac subinde etiam impiorum hominum futuram resurrectionem apertissime docet; eamque in eo sensu interpretantur Sancti Patres, Justinus in apolog. ad Antoninum Pium, Athanasiorum, & Tertullianus de resurrectione agentes, Arnobius lib. 5. contra Gentes. Lactantius lib. 7. divinarum inst. cap. 22. & 23. Minutius Felix in Octavio, & innumeris alii Patres, qui de futura hominum resurrectione sermonem habuerunt; quorum catalogum texere, nimis longum esset. Secundo: impii cum animas habeant immortales, perire, ac anihilarî non debent, & quamvis ab igne crucientur, ignis tamen ille, ut ait Minu-

tius

tius Felix in Octavio, *membra urit, & reficit; carpit, & nutrit, non damnis ardentium pascitur, sed inexcessa corporum laceratione nutritur.* Tertio: Impios sine fine in inferno cruciandos esse, disserte testatur Scriptura, Danielis cap. 12. dicens: *Et multi de illis qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper;* & Apocalypsis cap. 20. *Cruciantur die, ac nocte in sæcula sæculorum.*

10 Probatur insuper eadem veritas cum Catechismo non una, sed multiplici rerum naturalium similitudine, tum seminis, quod sub terra mortuum reviviscit, ut inquit Apostolus 1. ad Corinth. 15. & docet experientia, tum solis, qui post occasum iterum oritur. Quas quidem similitudines, & hujusmodi alias sæpissime afferunt Sancti Patres, ut Div. Gregorius lib. 14. moralium cap. 28. & sequent. dicens: *Lux enim quotidie quasi moriendo oculis subtrahitur, & rursus quasi resurgendo revocatur, &c.* Et Minutius Felix in Octavio sic eleganter ait: „Vide adeo quam in solatium „nostri resurrectionem futuram omnis natura medite-
tur. Sol demergit, & nascitur: astra labuntur, & redeunt: flores occidunt, & reviviscunt: post se-
nium arbusta frondescunt: semina non nisi corrupta
revirescunt. Quid festinas, ut cruda adhuc hyme
reviviscas, & redeas? Expectandum nobis etiam
corporis ver.“ Idem præstitit Divus Ambrosius lib. de fide resurrectionis, ubi idem probat luculentissimis argumentis ex omni literatura depromptis. Nemo tamen clarius, nemo illustrius hanc veritatem explicat quam Augustinus multis in locis, ut lib. de verbis Apost. Serm. 34. lib. de Catechizandis rudibus cap. 27. & lib. de Symbolo versus finem cap. 11. imo & lib. 2. de consolat. mort. cap. 2. si ejus est Auctor, apud Medinam in 3. part. quæst. 53. art. 1. pag. mihi 637. cujus verba dignissima sunt ut audiantur.

Ita

11 Ita igitur loquitur ille: „ Si quis requirit à me
 „ dubius, & incredulus, quomodo mortui resurgent,
 „ quo autem corpore venient; respondebo ei ore, at-
 „ que verbis Apostoli: insipiens tu, quod seminas non
 „ vivificatur nisi prius moriatur, aut quod seminas gra-
 „ num tritici, aut alterius cujusque seminis mortuum,
 „ & aridum sine humore, cum putrefactum fuerit, fax-
 „ cundum surgit, fitque vestitum folliculis, aristis ar-
 „ matum. Qui ergo granum tritici suscitatur propter te,
 „ non poterit te suscitare propter se? Qui solem suum
 „ quotidie quasi de sepulcro noctium suscitatur, & lunam
 „ veluti de interitu reparatur, & tempora recedentia re-
 „ vocat ad utilitatem nostram: nos ipsos propter quos
 „ omnia reparatur, non requiretur, & cineres patietur ex-
 „ tingui, quos suo flatu accendit, & quos suo spiritu
 „ animavit; & non perpetuo jam vivat homo, qui illum
 „ pie & cognovit, & coluit? Si iterum dubitas, quo-
 „ modo possis reparari post mortem, & restitui post
 „ cineres, & ossa consumpta. O homo! si dicere veli-
 „ mus quid fuisti antequam in matris utero conciper-
 „ reris, nihil utique. Deus ergo qui te creavit ex ni-
 „ hilo, nonne facilius poterit reparare de aliquo? Non-
 „ ne facilius potest facere quod ante jam fuit, qui po-
 „ tuit creare quod non fuit? Qui te ex gutta informis
 „ liquoris in tuæ matris utero in nervos, venas, &
 „ ossa jussit exrescere, poterit, mihi crede, de utero
 „ terræ iterum generare.

12 „ Sed times ne forte tua ossa arida, pristina car-
 „ ne non possint vestiri. Noli secundum fragilitatem
 „ tuam Dei existimare majestatem. Deus ille omnium
 „ Creator, qui vestit arbores foliis, & arva floribus, po-
 „ terit & tua ossa, illo certo veris tempore, in resurrectione
 „ ne vestire. Dubitaverat aliquando de hoc ipso Pro-
 „ pheta Ezechiel, & interrogatus à Domino utrum vi-
 „ verent ossa arida, quæ videbat dispersa per campum,
 „ respondit: Tu scis. Sed postquam Deo jubente, &

„ ip-

„ ipso prophetante vidit ossa ad sua loca, & ad junctura
 „ ras currentia, postquam vidit ossa arida nervis liga-
 „ ri, venis intexti, carne contegi, cute vestiri; postea
 „ prophetavit de spiritu. Et veniens spiritus uniuscu-
 „ jusque introivit in corpora illa jacentia, & surrexe-
 „ runt, & mox steterunt. Sic confirmatus de resurre-
 „ ctione Propheta scripsit visionem, ut ad posteros tan-
 „ tæ rei cognitio perveniret. Merito ergo clamat Isaias:
 „ *Exurgent mortui, & resurgent qui in monumentis sunt.*
 „ Sed dubitas quomodo de parvis ossibus totus possit
 „ homo restitui. Re vera tu ex modica scintilla ignis,
 „ ingentem suscitatur flammam: Deus non poterit ex mo-
 „ dico cineris fermento totum corpusculi tui redinte-
 „ gare conspersum? Nam si dicas: nunquam compa-
 „ rent reliquæ carnis ipsius: forsitan enim aut igne
 „ combustæ, aut à bestis devoratae sunt. Hoc primum
 „ scito, quia quidquid consumitur, in terræ visceribus
 „ continetur: unde rursus poterit, Deo præcipiente,
 „ produci. Nam & tu cum non appareat semen ignis,
 „ adhibes lapillum, & modicum ferri, & excutis de
 „ visceribus lapilli quantum opus est ignis. Quod ergo
 „ per tuam industriam, & sapientiam, quam tibi Deus
 „ ipse concessit, tu facis ut producas quod non apparet;
 „ Majestas illa divina facere sua virtute non poterit, ut
 „ quod interim non videtur excutiat? Mihi crede, po-
 „ test omnia Deus. *col. quæ à se hominibus creata, & indurata
 „ sunt.* Hoc tantum require, utrum promiserit se face-
 „ re resurrectionem, & cum promissam tantorum didi-
 „ ceris testimoniis, imo cum ipsius Christi Domini
 „ certissimam teneas cautionem, confirmatus fide, mor-
 „ tem desine jam timere. Qui enim timet, adhuc non
 „ credit. Qui autem non credit, peccatum contrahit
 „ insanabile, quia sua incredulitate Dominum aut im-
 „ potentem, aut certe asseverat mendacem; sed non
 „ ita Beati Apostoli, non ita Sancti Martyres probant.
 „ Apostoli propter hanc prædicationem resurrectionis,

Tom. I.

Yy

„ dum

dum Christum resurrexisse prædicant, & ipsos mortuos suscitaturum annuntiant, nec mortem, nec tormenta recusaverunt, nec cruces. Si ergo in ore duorum, aut trium stat omnè verbum; resurrectio mortuorum, cui tot, & tam idonei testes existunt, cui cum effusione sanguinis testimonium dicunt: quomodo potest in dubium revocari? Sancti enim Martyres, si non habuissent certam spem resurrectionis, non utique per tantos cruciatus, & poenas, mortem pro lucro maximo suscepissent. Non enim cogitabant supplicia præsentia, sed futura præmia sequutura. Hæc Sanctus Doctor, vel quisquis alius non contemnendus, in appendice tom. 9. pag. 433. quæ tam late huc adducere placuit, quia sola sufficient ad exponendam litteram Catechismi (a).

14. Verum, ne quid intactum remaneat in expositione textus, lubet ejus proponere rationes, quæ carnis resurrectionem efficaciter persuadent, & passim à Theologis afferuntur super quartum sententiarum distinct. 43. ut videre est apud Divum Thomam, Divum Bonaventuram, aliosque Magistri expositores, & Divi Thomæ interpretes. Prima ratio sumitur ex immortalitate animæ, quæ à corpore separata subsistit cum innata inclinatione ad ipsum, uti pars hominis ordinata ad totum constituendum. Id autem suaderi potest experientia brachii, alteriusve membri à suo loco se juncti, ac etiam miraculo effervescentiæ sanguinis Sancti Januarii, in ampulla vitrea Neapoli asservati, qui quotiescumque ejus capiti proximus ponitur, liqueseit, atque ebullit, quasi exoptet eo recurrere, unde fluxerat illudque iterum animare festinet, veluti moræ resurrectionis impatiens, ac vitro violentè isclusus velit circularè per venas. Quod potiori titulo judicandum est de anima, tan-

(a) Videantur alii plures, eodem modo loquentes apud Theophilum Raymondum tom. 5. dist. 8. quest. 4. art. 6. pag. 550. num. 284. & 285.

tanquam principi hominis parte, ad compositionem ordinata; atqui impossibile est hanc animam inclinationem ad corpus, esse inanem, & numquam reducendam ad actum, cum quod natura adversatur, & violentum est, diuturnum esse non possit, ut docet Aristoteles: igitur erit aliquando resurrectio mortuorum. Hæc ratione arguit contra Sadducæos ipse Salvator Matth. 22. vers. 23. ubi ex animarum immortalitate, corporis resurrectionem deducit.

15. Secunda ratio capitur ex æquitate justitiæ Dei. Justum quippe est, ut unusquisque referat quæ in vita gessit, sive bona, sive mala, & pro his præmium, vel poenam suscipiat. Anima siquidem sola puniri haud debet propter peccata, quia ea quæ in carnis voluptatibus posita sunt per se non perpetravit; nec solum corpus poenis affici debet, quia legum, ac præceptorum vim percipere non potest. Hominem igitur ex utroque, corpore videlicet, & anima conflatum, pro suis quæ gessit facinoribus, sententiam referre necesse est; quod certe non fit in hac mortali vita, ubi sicut funesta (heu nimium!) experientia docet, improbi opibus affluunt, honoribus florent, deliciis perfruuntur; boni vero adversis premuntur, contentui habentur, & gravissimis quandoque janctantur procellis. Ut igitur splendescat divina justitia, æquissimum est, ut in fine sæculorum, interveniente mortuorum resurrectione, animæ simul & corpori poenæ, vel præmia decernantur. Hanc rationem etiam supra tradidit Catechismus cap. 8. §. 4. agens de causis judicii universalis; & longe antea jam tradiderant Sancti Patres Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Damascenus, aliique complures. Unde Nilus orat. 2. de Paschat. apud Photium, cod. 276. vocat resurrectionem corporum: *caput providentiæ Domini.*

16. Tertia tandem ratio à Catechismo adducta, desumitur ex beatitudine supernaturali. Hæc enim, teste

Boetio, est honorum omnium, secretis omnibus malis; cum-
mulata complexio; quæ quidem cummulata non foret, si
 non esset resurrectio carnis. Tunc enim caro nihil per-
 ciperet de bonis æternis, quæ præparavit Deus diligen-
 tibus se. Unde Sancti Dei viri non essent perfecte bea-
 ti, cum sine corpore non essent perfecti homines; nec
 satiaretur humana voluntas, quæ nedum quantum ad
 animam, sed etiam quantum ad corpus cupit esse bea-
 ta; quod est contra illud Psalmistæ dicentis: *Satiabor*
cum apparuerit gloria tua. Igitur certo credendum est
 resurrectionem esse futuram. His aliam placet addere
 rationem ex Divo Augustino desumptam lib. 22. de Civi-
 tat. Dei cap. 3. ad quam nunquam responderunt veteres in-
 creduli, nec respondebunt recentiores, quamvis præ-
 sumant esse sapientiores antiquis: eam affert etiam Na-
 talis Alexander in expositione hujus articuli dicens:
 „ Tria sunt, quæ mundo videntur incredibilia, quæ
 „ tamen facta sunt, & jure merito credentur. Incredi-
 „ bile videbatur Christum resurrexisse in carne, & in
 „ Cœlum ascendisse cum carne. Incredibile videtur
 „ mundum rem tam incredibilem credidisse. Incredi-
 „ bile homines ignobiles, infirmos, paucissimos, impe-
 „ ritos, rem tam incredibilem tam efficaciter mundo,
 „ & in illo etiam doctis persuadere potuisse. Incredibile
 „ videtur corpora nostra aliquando resurrectura in æter-
 „ num. Horum incredibilem, tria jam facta partim
 „ credimus, partim videmus: cur igitur quartum, scili-
 „ cet corporum nostrorum resurrectionem futuram non
 „ credamus, & speremus? Siquidem & illud ab eodem Deo,
 „ qui hæc omnia futura esse prædixit antequam vel unum
 „ illorum fieret, pariter prænuuntiatum, & promissum
 „ est. Idem innuit Div. Thomas 1. cont. Gent. cap. 6.

17 Confirmari etiam potest præsens articulus pluri-
 bus exemplis eorum, quos Deus Sanctorum precibus
 superius commemoratos, de quibus hæreticum est du-
 bi-

bitare, sunt & alii bene multi, quorum resurrectio
 sine summa temeritate, ac impudentia negari nequit.
 Illi scilicet quorum mentio fit in Actis Sanctorum, editis
 ab Scriptoribus integerrimæ fidei, in Bullis canonizatio-
 num, & in Breviario Romano Sancti Pii V. Clementis,
 ac Urbani VIII. auctoritate recognito, in quo licet
 adhuc aliqua fortasse supersint nondum omnino limata,
 ut sentiunt eruditi; in his tamen de quibus loquimur,
 & in cunctis aliis ubi nulla, aut levia sunt fundamen-
 ta ad oppositum, maximi ponderis est Breviarium, ut
 docent sapientissimus Lambertini postea Papa Benedi-
 ctus XIV. lib. 4. de canonizat. Sanct. part. 2. cap. 15.
 Emmanuel Cajetanus Sousa tom. 2. dissert. de expeditione
 Hispanica Sancti Jacobi Majoris, appendice 2. num.
 2711. ejusque adversarius Didacus del Corro, quorum
 plura ad rem doctissime pro more contrahit Cl. Michael
 à Sancto Josepho tom. 1. Bibliograph. critica verbo
Bibliotheca occulta concionum pag. 515. & tom. 4. verbo
Sousa pag. 225. & sequent. Et consequenter ex resurre-
 ctione tantorum, qui in Breviario Romano post severis-
 simum examen referuntur, non leve argumentum
 desumitur ad probandum futuram omnium hominum
 resurrectionem in fine mundi. Dico in fine mundi, non
 autem mille annis ante judicium, ut plures perperam
 crediderunt antiqui, dicti communiter Chilistæ, seu
 millenarii. Verum de his aliisque multis brevitas tem-
 poris loqui nos prohibet; quare hic filium secundæ
 partis orationis abruptimus.

18 Ad tertiam igitur perveniamus in qua probanda
 est hæc conclusio: *Nedum fide constat animam hominis*
esse immortalem, sed etiam potest naturaliter demon-
strari. Videantur Theologi cum Magistro in 2. distinct.
 19. & Div. Thom. 1. part. q. 75. art. 6. Melchior Ca-
 nus lib. 12. de locis cap. 14. Patuzzi in opere de futuro
 impiorum statu lib. 1. cap. 4. pag. 21. & cap. 9. pag. 57.
 Bertit, 1. lib. 12. cap. 3. Ludovicus Bailly in tract. de

vera Religione 3. quast. prævia de immort. mentis humanae pag. 60. Valsecchius lib. 1. de fundamentis Religionis & de fontibus impietatis cap. 5. pag. 60. Jacquier tom. 2. Metaphysic. part. 2. art. 2. pag. 79. Isidorus de Celis nuperrimus Auctor, tom. 1. part. 2. Metaphysic. pag. 200. alique innumeri contra materialistas, ac libertinos hujus sæculi nequam.

PRÆLECTIO XXVI.

De Resurrectione carnis,

ad expositionem cap. 12. primæ partis Catechismi Concilii Trident. à §. 6. ad decimum.

1 *Non omnis caro, ait Apostolus 1. ad Corinth. 15. eadem caro est, sed alia quidem hominum, alia vero pecudum, alia volucrum, alia autem piscium. Licet enim per mortem qualibet corrumpatur, & in pulverem resoluta ab alia discerni nequeat; sola tamen hominum in fine sæculi eadem anima informabitur, ac immortalis vita resurget, vel ad perpetuam gloriam, vel ad cruciatus æternos, juxta merita, vel demerita. Hinc rectissime dixit Job cap. 19. : In novissimo die de terra surrecturus sum. Rectissime dixit soror Lazari, Martha, Joan. 11. *Scio quia resurget (frater meus) in novissimo die. Rectissime dixit Paulus loco supra citato: Omnes quidem resurgemus. Rectissime dixerunt Apostoli undecimo articulo Symboli: Credo resurrectionem carnis. Rectissime tandem dicunt fideles cum Symbolo Nicæne Synodi: Expecto resurrectionem mortuorum. De qua sapienter pro more agit Catechismus Concilii Tridentini prima parte cap. 12. cujus quinque paragraphos à**

sex-

sexto, usque ad decimum hodierno sole dilucidabimus in nomine Patris, &c.

2 Sanctissimæ Trinitatis auxilio, Beatorum ope, vestraque venia, amplissimi Consessores, sortitum putctum exponam; ne autem confuse, ac inordinate incedam, orationem afferam tripartitam. Prius enim litteram Catechismi brevissime contraham. Deinde ipsam fusius enucleabo. Postremo, si tempus adsit, conclusionem adducam, probabo, tuebor. Utinam feliciter! Ordiamur igitur primam partem dicendo sic incipere litteram Catechismi §. 6: *Explicare præterea, &c. Ita vero finire §. 10: Veluti & cicatrices vulnerum Christi.* Primo ex his paragraphis docet Catechismus Apostoli testimonio, & Sanctorum Patrum sententia, nullum hominem fore mortis, ac resurrectionis expertem. Secundo ait, idem numero corpus in extremo judicio ad vitam suscitandum. Quod Jobi verbis, & Damaseni doctrina confirmat. Tertio rationem assignat resurrectionis mortuorum, ut scilicet referat unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum, sive malum. Quarto inquit omnia hominum corpora suscitanda esse perfecta, & absque ullo defectu. Quod Augustini auctoritate tradit, ac ratione. Quinto denique asserit Martyres quamvis resurgant integro corpore, gestaturos vulnere cicatrices, quibus super aurum, & lapidem pretiosum fulgebunt, ad instar corporis Christi; idque ipsis Augustini verbis eleganter proponit. En summam textus; & primam orationis partem.

3 Ingre diamur itaque aliam, ad fusiorem litteræ discussionem. In qua postquam Catechismus paragraphis antecedentibus stabilivit dogma Catholicum resurrectionis carnis, nunc §. 6. quærit quoniam ad vitam sint suscitandi, atque respondet omnes omnino homines, nullo excepto. Quoniam nullus erit qui non moriatur, nullusque morietur qui non resurgat. Quod rectè probatur illis Apostoli verbis 1. ad Corinth. 15. vers. 22.

Si-